

RIGA DEVICTA

AB AUGUSTSSIMO PRINCIPE,

GVSTAVO

ADOLPHO

SVECORVM, GOTHORVM,
VANDALORVMQVE REGE, MAGNO

PRINCIPE FINLANDIÆ, DUCE ESTHONIÆ,
CARELIÆQUE, NEC NONINGRIÆ

DOMINO, &c. &c.

Carmine Heroico descripta

A

IOANNE NARSSIO ANASTASIO

Dordraci-Batavo Medicinæ Doctore.



RIGÆ LIVONUM

n.

Excudebat Gerhardus Schröder / M. DC. XXV.

ADIT

701

Benigne Lector,

Non fabulam confictam exhibeo, sed rei verè gestæ veram & genuinam Historiam, cujus argumentum & partes singulas habeo partim ex relatu Magnatum, aliorumq; Testium oculatorum, partim ex A. Senatus Rigenfis eleganti Epistolâ Historico = Apologeticâ ad Illustriss. Principem Radzivilium; quam quidem ante triennium editam hæctenus silentio suo comprobarunt ipsi Poloni. Quæ alicubi ad ornatum Poëticum, de more, conficta occurrunt, ea ejusmodi sunt, ut noxam nemini adferant, & à prudenti Lectore facile discerni possint ab iis quæ rei substantiam concernunt. Maronem, qui mihi unus instar omnium Poëtarum est in hoc carminis genere, præ aliis imitatione pro viribus exprimendum mihi proposui, utinam tam feliciter, quàm studiosè. In materiâ certè carminis adjumento mihi præstito Marone quodammodo felicior fui. Volens quippe Maro, in gratiam Romanorum, mirum in modum laudibus efferre virtutes bellicas Æneæ sui, finxit operosè, non minus quam prudenter, Turnum, Æneæ Adversarium, Heroem singularis magnanimitatis & industriæ; ut victor tanti Adversarii Æneas tanto major esset in animo Lectoris creduli. Mihi verò virtutes magni REGIS GVSTAVI ADOLPHI pro modulo meo aliis in exemplum cantaturæ opus non fuit in Hoste magnum aliquid confingere, sed, ultrò revera sese obtulit in RIGENSIBVS insignis fortitudo atq; industria, à cujus victoria non exigua portio laudum Regiarum cumulo accessit; ut non abs re Rigenfis jam devictis REX dixerit, illam duntaxat fidem à Civitate istâ se expetere, quam Polono toto obsidionis tempore præstitisset. Hic ut REX voti æquisimè compos fiat, & in ollis Ægyptiis mercimoniorum Polonicorum contemnendis fortiter Cives perseverent, in commune bonum opto & voveo: Præsertim quum paternum REGIS animum experiantur indies, non tantum Sacrorum ac Præviliorum fideli conservatione, sed & nuperâ donatione immunitatis à Vestigalibus totius Regni aliisq; signis indubitatis. Vale, Benigne Lector, & opusculum hoc per ociurn evolvens virtutes præclaras, tum bellicas, tum Christianas, exemplo non uno disce, ac pro ratione muneris feliciter imitare. Rigæ Livonum Kal. Decembris. CIO. IO. C. XXV.

IOANNES NARSSIUS Med. D.

RIGA



IO ANNIS NARSSII
RIGA DEVICTA
ANNO M. D. C. XXI.

Propositio
cum voto.

Debellatores RIGÆ REGEMQVE, DV-
CEMQUE
GVSTAVUM, CAROLU Mq; cano,
Duo lucida Fratres

Sidera, ab Arctoo latè radiantia cælo ;
Herœsq; alios, Sueonum quos Martia fundit
Tellus, & iusto sociatæ fœdere gentes.
Hic ut digna canam factis, date flamina, Musæ
Veraces, spirante DEO, victoria cujus
Auspiciis, nutuq; venit ; qui sede superbos
Dejicit, ac folio justos exornat eburno.

LIVO.
NIÆ

Est Moscho vicinus ager, LIVONIA dictus,
Sarmatiæ quondam pars magna. Hunc Teutones olim,
Sacratî tenuère viri, quum jura, fidemq;
Christiadum dictare armis, & munere cæli,
Scilicet, immensas raptò corradere gazas
Persuasit pietas, atq; elargitio Papæ.

A 2

Post,

Pòst, sic quæsitum, majori ex parte subegit
Mofchus, & hoc pulso, vario discrimine Martis
Subdita pars Sveco, pars gestat fræna Poloni.

RIGA Hujus agri stat **RIGA** caput, quod nomine **Grajo**
Metropolis Metropolin dixere Patres: Unde omnibus olim
Mystica Livonis summus dat iustâ Sacerdos.

Priùs ten- Urbs muris, castroq; valens. Urbs flumine **Dunâ**,
tata. **Balthiacisq;** opulenta vadis, atq; ubere glebæ;
Haud animis minor atq; armis. Hac pellere fede
Marte **SIGISMVNDVM**, conati sæpiùs hostem
Primores Sueonum, **CAROLI** dum vita manebat;
Longiùs ut tandem pulsus hostilibus armis
Proficuum Patriæ possent evincere pacem.

frustrâ. Non hæc usq; tamen **Mavors**. ad vota favebat,
Insigni moderans **Carolina** hîc clade **Trophæa**.

Feliciùs à At fors læta magis **CAROLI** post fata relucet,
Rege Et quondam hîc victis redit in præcordia virtus;
GVSTA. Pugnatumq; magis felici fidere, postquam
VO A- Pugnatumq; magis felici fidere, postquam
DOLPHO **SVECLA GVSTA VO tVtò** **ManDarat** habenas.

M. D. Hic patriâ virtute potens, cladisq; paternæ,
C. XXI. Quà fas, usq; memor, Patriæq; accensus amore,
Perpetuò ingenti curarum fluctuat æstu,
Ut res sit meliore loco. Pudor, iraq; mentem
Excelsam exagitant, ac laudis iusta cupido.

Oratio Hinc tandem ex imo ducens suspiria corde,
Regis de- Hæc secum. Sicne incepto desistere victos,
liberantis. De **RIGA** ut nequeant **SUEONES** auferre **Trophæa**?
Quæ **Mofchum** domuere manus, patriaq; nefandum.

Excus-

Excussère jugum, ringente tyrannide Papæ,
 Nunc an torpebunt tanquam post terga revinctæ?
 R I G A ferox nostros poterit tardare Triumphos?
 An frustra S V E O N V M. pinguescent sanguine campi?
 Durabunt moti nostrâ de cæde cachinni?
 Degeneran C A R O L I N A T V S credetur uterq;?
 Et terror Livonus erit, terrorq; Polonus?
 Si P A T R E M vicere senem, quibus integer ævi
 Sanguis, & ex Sociis venit delecta iuventus,
 Ac S V E O N V M. de gente armis jam docta caterva,
 Hos faxo metuat F R A T R E S, nunc turgidus, Hostis.
 Jussaq; de cælo melior Fortuna favebit.
 Bella geram D O M I N I, justum, Sacrumq; tuebor.
 Nec ferro innocuas mens est excindere gentes,
 Sed justas Hostem ad pacis constringere leges.
 Hæc mihi conanti vires dabit Arbiter Orbis.
 Urgendum. Exiguus haud concidit ictibus Arbor.
 Talia magnanimo secum R E X corde volutans,
 Germanum appellat C A R O L V M, juvenilibus annis
 Qui vix R E G E minor, patriæ virtutis imago,
 Judicio Procerum spes (heu! brevis) altera Regni.
 Hujus pertentans animum, quid pectore volvat
 Explicat, inq; sinum fidi R E X fundit amoris.
 Extemplo C A R O L I perfundunt gaudia pectus,
 Nec satis effari potis, ardescitq; silendo,
 Et vultu gestuq; docet, quantum astuet intus
 Sanguis ab accensâ primævo ardore juventâ.
 Tandem pauca refert. Fratrem, ô, ne desere, Frater!

DVX CA-
 ROLVS
 PHILIP-
 PVS
 Consilii
 particeps.

Ejus Ora-
 tio.

Sim comes! In nobis possit quid vivida virtus,
 Experiare rogo. PATRI ambolitemus honorem,
 Primitias ego, Tu solitæ virtutis acervos.
 Tyroni quæcunq; jube. Me promptior alter
 Haud erit obsequio. Patriæ quo commoda curem,
 Ac Patris, Fratrisq; decus, nec tela, nec ignes
 Horrescam. CAROLVM redivivum sentiat Hostis,
 Nec tanquam ignavum jactet me claudier Aulâ.

Sic amborum accensi animi. Sic mascula virtus
 Nascitur ex irâ, Patriæq; & laudis amore.

Simile
 Principum
 Auriacorû.

Qualis & AURIACOS, belli duo fulmina, Fratres
 Spiritus acer agit, memori quum mente revolvunt,
 Ut latrocinio ac sceleratâ cæde Parentem,
 WILHELMUM obtruncavit Iber: quam sæva Tyrannis
 Immineat Batavis, atq; omni deniq; genti
 Christiadam, immanis ni vis franetur Iberi.
 Hinc vigiles oculos, hinc corda infracta labore
 Gestant, nec Martis millena pericula curant.
 Haud aliter REGIQVE DVCIQVE heroicus ignis
 Æstuat, & pulcrum succumbere dictat in armis.
 Parcere fraternis REX optat providus annis.
 Sed precibus victus, quem nullus vicerat Hostis,
 Admittit comitem CAROLUM, fociumq; laborum,
 A Fratre ut discat, quæ sit vindicta Parentis,
 Quis modus â Patriâ pellendi Marte Polonum.

Communi
 consilio
 Suedorum

Concilium intereâ Procerum, sanctiq; Senatus
 REX de more vocat, ut quilibet utile Regno
 Consulat in medium, ac REGIS conatibus adsit.

Omni-

Omnibus idem animus. Gratantur mascula REGIS
Consilia, illa viris opibusq; juvare parati.

Mandantur belliq; Duces, belliq; cohortes,
Quilibet arma paret, REGI Regnoq; fidelis.

Lustrantur Turmæ, Batavâ factæ arte carinæ.
Arma virum, victusq;, & quævis Machina belli.

Martius exoritur strepitus, clangorq; Tubarum:
Tympanaq; ex ictu resonant, Martemq; lacescunt.

Spes sua quemq; alacrem lætumq; in prælia ducit.
Hic prædam jam mente agit. Illum gloria Martis

Incitat. Ast alii (pauci, quos æquus amavit
Iupiter) in Patriam, Virtutem & Sacra tuenda

Respiciunt, ac corde pio sancta arma capeſcunt.
Hi cum REGE pio, Ducibusq; & gente fideſi

Hoc agitant votis, ut cæli exercitus omnis
Adſit, & hoſtiles peſſumdet Marte phalanges.

Ergo ſacris tandem REX, CHRISTI lege, peractis Navigat.

Ter quinquagenis conſcendit navibus æquor,
Patre DEO monſtrante viam. Comitatur euntem

Nata DEO niveis volitans Victoria pennis,
Cælituumq; cohors, ſanctorum provida cuſtos.

Postquàm altum tenuère Rates, dat flamina verus
Æolus, & major Neptuno dividit undas.

Quin & ſponte ſuâ Domino vada carula cedunt,
Imperiumq; ferunt Sueonum. Volat ocyor Euro

Classis, & in Dunæ properat conſiſtere ripâ.
Attamen ut viſus ſuperato ex æquore Portus,

Duna novum renuens Dominum, Borecalibus Austros

Classis
præpara-
tur.

Tempeſtas
prope
Livoniam
orta

Ob-

8
 Objicit, aduerso perturbans ostia nisū.
 Prima hinc pugna fuit REGI, devineere Fluctus,
 Difficiles aditus, ruptorum damna rudentum,
 Absorptasq; undis paucas liquisse Triremes.
 Regia ab irato fluctu quassata Carina,
 Accipiens inimicum imbrem, rimisq; fatiscens,
 Vix tandem assiduo sentinae exhausta labore
 Praevenit interitum. Post facta silentia Ponto,
 Ventos increpitante DEO, bona maxima terris
 Per REGEM meditante suum; qui flamine plenus
 Pernaviam, Pelagi victor, defertur ad Urbem:
 Mox CAROLO mandās, qui GULDENHELMIVS Heros,
 Collectare Rates, ac ducere in Ostia Dunae,
 Mulgrabiamq; omnes in terram exponere Turmas.
 Jamq; Eurusq; Notusq; favent. Jam tutus ab undis
 Puppibus exfiliens campum quatit agmine Miles,
 Dunamundiacae non territus ictibus Arcis.
 Castraq; vicinis Marschallus figit in oris
 WRANGELIVS, focias dum REX tellure cohortes
 Ducit Finnonias, tulerat quas GARDIVS ingens.

Martia sic tandem pubes quum venit in vnum,

Corda aciens cunctis REGIS sic gratia fatur.
 Vicimus, o Socii, fluctus. Nunc vincere terras
 Sit virtutis opus. Virtutem ostendite factis.
 Me praeeunte sequi libeat. Me vertere terga
 Si quisquam cernet, fuga sit permissa, timorq;
 Jam merces virtutis erit. Jam commoda Regni
 Gloriaq;, & Martis spolia haud spernenda sequentur.

Di-

sedatur.

Copiae in
 terram ex-
 positae.

Oratio Re-
 gis ad Co-
 pias.

RIGA DEVICTA.

Dixit, & ingentes discriminat arte phalanges,
 Ac sua cuiq; datur statio. R E X primus in Eurum
 Tendit, arenosus quâ collis visitur Urbi,
 Augusti cum dena dies ac tertia lucet.
 Addit se R E G I C A R O L V S, communia fata
 Communi virtute petens. Equitumq; cohorte
 Stipatur geminâ Sueonum. M A N S V E L D I V S illi
 It comes audaci Comitum de stirpe P H I L I P P V S,
 Utilis hic R E G I: sed post infesta sequutus
 Arma Hispanorum, Batavo haud laudanda Poëtæ.
 O X E N S T I E R N I A D E S hunc masculus excipit. Istum,
 H O R N I V S, insignis R E G I cognominis Heros,
 H A N D I V S, ac R O S E I dictus de nomine S E R T I.
 Et quina hos sequitur Legio. Custodia R E G I S
 Additur, atq; Equitum senæ binæq; catervæ.
 L A V R E N T V S Q V E ingens claudit M V L L E R I V S agmen,
 Justitiæ cui cura data est per singula castra.
 G A R D I V S haud procul hinc dextram statione tuetur,
 Præstans Marte Comes, Regaliaq; agmina ducens.
 Principis hunc Legio C A R O L I C L O T H I Q V E sequuta,
 Atq; H E N R I C I A D Æ, Sueonum de gente, I O A N N I S,
 Et bis bina Equitum circumstans ordine Turma.
 Lævam R E G I S amat Mareschallus claudere magnus
 V V R A N G E L I V S, Legione suâ firmatus. Et alter
 Adstitit R E D V V E N S Scoticâ virtute Tribunus,
 Smalandos ducens pedites. Equitumq; cohortes
 Septenæ hic socias mandantur jungere dextras.
 Tertia in Hintziadæ Statio sic prædia tendit,

9
 Castrame-
 tatio
 13. Augusti,
 Cis-Du-
 nam.

SITONO pòst quarta datur vicinior Urbi,
 Quà mola ventosis circumductatur ab alis.
 Hic primos fecère aditus, præeunte Tribuno,
 Ac Ducibus Scoticis, Batavis qui nuper ab oris
AURIA CO doctas tulerant per cærule Turmas.
 Omnibus his celeri vallum molimine castris
 Exstruitur. Densâ fiunt tutamina terrâ,
 Ne fors adveniens incautos opprimat Hostis.

Utra Du-
 nam.

Haud minus ulterior circumdata Milite ripa,
 Castraq; congestæ firmantur cespite glebæ.

FLAMINGVS geminum Dunæ propè littora vallum
 Excitat, adversans Arci, quod milite complet
 Finnonio, ac Fluvio dominans gravis imminet Urbi.
 Parte aliâ, Turris tutandis finibus olim

In Insulis.

Quà Patrum fabricata manu, magno aggere **COBRVN**
 Ingentem cingit peditumq; equitumq; catervam.

Insula prætereà quina est in flumine Dunâ.
 (Una est, cui nomen tetro à Cacodæmone natum,
 Omine mirifico Patribus data gentis **JESU**)
 Hic etiam variis satagunt sibi figere sedem
 Finnones aggeribus, trabibusq; ex ordine textis
 Divisas multo terras conjungere ponte.

Navalis.

Vndiq; sic terris arctatâ hostiliter Urbe,
 Ne pelago auxilium speretur, **CAROLVS** instat
 Puppibus, insignis qui **GULDENHELMIVS** Heros
 Dictus. Et alter opem fido fert corde **FLAMINGVS**.

Tormenta
 bellica pro-
 ducuntur.

Omnigena hinc passim tormenta ingentia belli,
 Quassatura Urbem, fert **OXENSTIERNIVS** alter,

Bellica

Bellica cui virtus , atq; intus provida mens est.
 (OXENSTIERNIADVM quæ prisca est gloria gentis)
 MONERIQUE levat præstantis cura laborem.

Atq; hæc adversâ Sueonum dum parte geruntur,
 Haudquaquam segnis , nec vilis pectore RIGA est.

Sed REGI promissâ fides , & commoda pridem

Vicinæ circum variæ commercia gentis
 Exacuunt animos , laudisq; innata cupido.

Vt primùm Sueonum fabricari in littore classëm

Famarefert , Rigamq; peti , non unus ad aulam

Mittitur , auxilium implorans , atq; arma POLONI.

Fabula sed surdo canitur. Iactatur inanis

Essè timor. Rifu crebrò excipiuntur acerbo

Legati, invisi sectæ , quæ nomen IESV

Mentitur, Papæ quia RIG A recusât habenas.

Cum meliora petunt lachrymis responsa fideles,

Nunc hic , nunc alius Tutor promittitur Vrbi,

Præsidiumq; ingens. Sed spe lactantur inani,

Indignisq; modis deserti , injusta suorum

Opprobria , ac Diras forti post corde tulere.

Nimirum hæc pridem virtus consueta Polono ,

Hostilem immodico virtutem spernere fastu,

Post in desertos irâ turgescere Cives,

Proditione gravare bonos , ut victus ab Hoste

Affricet innocuis , duplicans sua crimina , culpam.

Fors etiam (nec vana fides) Papale Poloni

Consilium fuit, Hæreticam nunc perdere RIGAM,

Post rursum subigendam armis ; ut jura fidemq;

RIGEN
SES

Auxilium
petunt à
Polonis.
Frustrâ.

Iniquissi-
mè culpati.

Mos Polo-
norum.

Invisam Martis titulo pessundare fas sit,
Et sit victoris miseræ pro lege voluntas.

Ergò Polonorum solatia vana relinquens,
Ipsa sibi corradit opem, ac tutamina R I G A,
Tempus quæ patitur. Nec culpa aliena removit
Virtutem, minuitq; fidem. Nec parcere gazis
Est animus. Vitam mavult pro laude pacisci.
Arcem ubi magnanimus tutandam suscipit O K V N,
B A R R I V S & C E R I D O N, auctâ mercede suorum,
Binis cum turmis Equitum mittuntur in Arcem.
Urbem defendunt Cives, præeunte Senatu,
Auxiliumq; ferunt S C H O V T E N V S, & additus illi
H I L L E N I V S, gnavi ambo Duces, & Marte potentes,
Vix ter centeno quantumvis milite nisi.
Mœnia perficiunt, celeri conamine, cœpta,
Restituuntq; alacres, si quâ collapsa ruinâ,
Impletas limo purgantes undiq; fossas.
Quin & Loricis fabricant in mœnibus imis,
Castraq; dimidiæ quæ dicta à nomine Lunæ,
Hostibus ut gravior fiat progressus ad Urbem.
Fervet opus. Martem perdiscit gnava juvenus,
Nunc hastam quatiens, pyrio nunc pulvere fumans.
Classè adventantem postquàm videt eminus Hostem,
Nec patriis potis est, impar, depellere ab oris,
Protinus ingenti constructa Suburbia sumtu
Exurit flammis, horti q; & amœna vireta
Æquantur terræ, insidias ne fabricet Hostis,
Ac tutò hic lateat. Sic prævalet utile dulci.

psi sibi
consulunt
Rigenfes.

Omnia
preparant.

suburbia &
hortos
demoluntur.

Nec

Hosti res-
sistunt
in Fluvio.

Nec ratibus terras Hostem conscendere inultus
Fert RIGÆ miles. Sed cymbis agmine facto
Mox interceptas binas ex classe minores
In prædam ducit puppes. Cumq; Infula Dunæ
Archi adversa minor petitur, Sueonumq; Triremes
Septenis peditum tentant hanc scandere Turmis,
Acris in occursum vibrat sua fulmina RIGÆ,
Dispellitq; Rates, denso cum milite, retrò,
Perterebrans binas, quarum altera flagrat in undis,
Alterius spolio Miles gavisus opimo;
Ipsaq; quæ titulo Jovis est, vix salva refugit.
Nec minus in terris RIGÆ se mascula virtus
Exserit, ac supra sortem sese objicit Hosti.
Mulgrabiis Turmas quum REX deducit ob oris,
Prodit in adversum nimis audax Martia turba,
Quæ jaculis olim docta est Rigana juvenus,
Irritatq; Hostem. Tum quamvis cedere jussâ
Majori numero, non turpia vertere terga
Visitur, ast lento pugnans concedere gressu,
Ac muris propior Sueonum dat fulmine stragem.

In Terrâ.

Ipsi quin etiam REGI non rara cruenti,
Ac Fratri CAROLO, peperit discrimina lethi.
Collis arenosi quum REX in vertice primùm
Intento circum perlustrat lumine campos
Aptandos Castris, dudumq; in Colle moratur,
Eminus hostili stantem de more salutant
RIGANI; Monitusq; gradum nisi ad ima tulisset,
Prima dies (eheu!) REGI suprema fuisset.

Cum peri-
culo
REGIS ac
Principis.
1. In Colle.

Namq; volans subitò vibratum fulmine ferrum
 Quà R E X constiterat, Collis fastigia tangit,
 Horrendumq; ululans vestigia dissipatictu.
 Saxea dein moles medijs quà constat arenis,
 Supplicijs, de more, olim fabricata malorum,
 R E X se cum sistit nimis imperterritus Hosti,
 Fulmina perrumpunt muris emissâ catervam,
 Vicinosq; ferit feralis machina. Tabo
 Membra fluunt dispersa. Tepent fuso arma cerebro,
 R E G I S Q V E haud uno fœdatur funere vultus;
 Nobilis inprimis quum S T A K E L B E R G I V S Heros
 Regalem tingit truncatus sanguine vestem.
 Pòst ubi R E X sedem medijs sibi struxit in agris,
 Machina ab are cavo violento explosa boatu,
 Sulphureosvolvens fumos, & flammea circùm
 Splendida perrumpit niveis tentoria velis
 In Regale dicata caput. Verùm errat in ictu,
 Erroriq; irata suo, resilitq; volatq;
 Ac R E G E M furibunda petit. Sed Numine pulsa
 Defessa incastrum vili se condit arenâ.
 Obstupuère animis Procères, gemitumq; dedere.
 Accurrunt; trepido R E G E M clamore requirunt.
 Qui dum conspicitur mortalia fulmina spernens,
 Vix sibimet credunt vivum se cernere R E G E M.
 At R E X sedato mox vultu talia fatur.
 Quid tam sollicito juvat indulgere timori,
 Dilecti Procères? Non hoc sine Numine ferrum
 Transiit innocuum. Cæli qui fulmina vibrat,

2. Prope
locum sup-
plicij.

3. In Ten-
torio.

Oratio Re-
gis ad Pro-
cères.

Dirigit

Dirigit humana, ac prohibet hæc tangere REGES.
 Solvite corda metu. Verùm hoc nunc gnaviter omnes
 Mecum agite, ut tutus sit Miles ab ictibus Hostis,
 Vestraq; sit mihi tuta salus, mea maxima cura.
 Dignus vester amor, virtusq; ut nostra vicissim
 Sollicitè vobis caveat vigilantia mentis.
 Celsas figamus moles, ac fulmine crebro
 Irrita reddamus temeraria fulmina RIGÆ,
 Frustrà ingens nunc ausa nefas. Hoc omine freti
 Rumpamus tures. Pellamus mœnibus Hostem,
 Et fodiendo viam tutò acceleremus ad Urbem.

Haud mora. Passim ingens fabricatur terrea moles,
 Permixtis palis, trabibusq; & vimine texto.
 Huc sursum advectant immensi ponderis æra,
 Inspectura urbem, rupturaq; fulmine muros.
 Hic opus, hic labor est. Duris adsueta juvenus
 Hic gnava est Sueonum. Sudor fluit undiq; rivis,
 Permixtusq; cruor sudori, fulmina Rigæ
 Dum satagunt (frustrà) Sueonum turbare laborem.
 Instat REX operi, CAROLVSQVE, manuq; ligonem
 Haud versare pudet, nec vilem tangere funem.

Hæc ubi facta, globos nitrati pulveris ictu
 Hinc atq; hinc irata vomunt ex molibus æra,
 In Turres, in tecta domorum, ac strata viarum,
 Inq; Arcem, & multo congestum cespite vallum.
 Nec mora, nec requies. Horrendo tela fragore
 Ferrea conglomerata volant; Densataq; passim
 Fulmina luminibus miscent noctemq; , diemq;.

Sedes Tormentorum sunt.

Tormenta emittuntur.

Haud

Simile.

Haud aliter quàm si temeraria facta Gigantum
 Ulturus rursus Rex Jupiter, omnia in unum
 Cum tonitru horrifono vibraret fulmina Cæli.
 Sic densè rutilant GVSTAVI fulmina REGIS,
 Pulsatumq; nitro Cælum omni ex parte remugit.

Vrimq;.

Nec silet hic Rigana cohors. Responsa remittit
 Dura satis, pariterq; replet magno æthra boatu.
 Dumq; tonant utrinq;, & tela micantia miscent,
 Æthereas circum volitat vapor ater ad auras,
 Obtenebrans lucem, commiscens Tartara cælo;
 Bellonæ nova thura novæ, Monachalia thura,
 Scilicet inventum Pacis præconibus aptum.

Quid facias, REX magne, tamen? Non mollia duris
 Ferramenta quadrant nodis. Hæc hostibus arma
 Jam pridem cum sancta sient, non te quoq; in Hostem
 Frænanandum, ac Regno tutando, his dedecet uti.

Fossæ sinu-
olæ

Ast dum lædendis justè utimur Hostibus igne,

Gnaviter & proprij Matris de viscere Terra
 Militis effodienda salus. Hinc nocte fodinis
 Incumbunt Sueones, SITONI à finibus orsi.

à Stativâ
Sitoni,

Ingenti studio sinuosos tempore tractus
 Perficiunt, vita tuta viris, scutumq; futuros.

Præsente
Rege &
Principe,

Promoturus opus, crebrò fodientibus adstans,
 Quod Mors consuevit, REX scepra ligonibus æquat,
 Prodigus ipse sui, CAROLO cum Principe, fossor.
 Dumq; operi, REGEM comitatus, GARDIUS instat,
 Haud à REGE procul ferrati fulminis ictu
 Perstrictus, tingit generoso sanguine terram,

Arte

Arte tamen Medicâ superans discrimina lethi.
 Finibus in Portæ, nomen cui fluxit Arena,
 Est mola, currenti quæ circum pellitur undâ.
 Hac fabricant latebras per amica silentia Lunæ,
 Brouverijq; hortos, vicinaq; strata viarum
 Portæ, quæ Divi de nomine dicta Iacobi,
 Perfodiunt alacres, tandemq; in limine fossæ
 Constituunt belli sedes, ac fulminis æra.

Obstunt operi magno conamine Cives.

Resistant
 Rigenfes.

Dant letho CLOTHVM præstantem Marte Tribunali,
 CORDIACVM QVE Ducem peditum, quem Gallia mater
 Miserat in Sueones. FRISIUM pectus ADAMI
 Trajiciunt Urbe explosi magno agmine glandes.

Plurimus ex vallo miles demittitur Orco.

Saucia multa jacent telorum corpora nimbo.

Sed constans Sueonum perrumpit nubila virtus,
 Statq; manetq; loco, concedere nescia morti.

Sed perdu-
 rant Suedi.

Fossæ tutatur limen; Nec inulta suorum

Funera dat terræ. Statuuntur limine in ipso

Æra, hæud absimili Mortaria dicta figurâ.

Mortaria,
 pyroboli
 &c.
 Urbem in-
 festant.

Hæc patulo ferrum, atq; immania pondere saxa

Ore vomunt, teretesq; globos, cavitate tremendos

Sulphureâ, piceâq; In vallo hinc protinus Urbis,

Perq; domos, ac strata ingenti missâ fragore

Saxa ignesq; volant; disruptaq; ferrea pila

Vulnera permiscet letho, domuumq; ruinam.

Nullus in Urbe locus, tali qui tutus abictu.

Horror ubiq; animis, & plurima mortis imago.

C

Atq;

Forum fa-
brica in ca-
stris.

Atq; hæc terribilis ne desit Machina Martis,
(Partem perdidit ventis seducta Carina)
Regia constituit nusquam non provida cura
Vulcani fabricam, quâ parte Georgius ædes
Pauperibus sacras proprio de nomine dixit;
Conclufitq; locum vallo, atq; HENRICIVS acer
Huc migrat Legione suâ. Dumq; obsidet Urbem
Genti inopi victum largè dat Regia dextra.

Frustrâ ob-
sistentibus
obsessis.

Hac quoq; Regales Turmas depellere sede
BARRIVS & CERIDON, sociâ comitante catervâ,
Fortiter aggressi. Virtus sed fortior illis
Obfistit Suecnum, retroq; repellit in Arcem.

Omnibus interea validè quassatur ab oris

Turris A-
renaria
convelli-
tur.

Munimen portæ, Turris, cui nomen Arenæ,
Saxea quæ moles longè se extendit in altum,
Noxiâq; inprimis emittere fulmina fœvit.

Stat vix mota diu, nec multo rumpitur ictu.

Tandem longa dies superat, nec civibus usus

Permanet. Assiduo terebratis fulmine muris,

In fundum Tabulata ruunt, quæ commoda Marti.

Et porta.

Porta ipsa exterior patitur confraeta ruinam.

In terram interiùs fastigia summa feruntur.

Rursus & in vallum passim sævitur, & infra,

Ac lorica.

Bis denos licet ampla pedes, Lorica fatiscit,

Nec tuta est statio, multo jam verbere rupta.

Millenos quippe una dies, molisq; stupendæ,

Ære cavo dedit ire globos. Exhausta deinde

Fossa Urbis
exhausta.

Fossâ Urbis, ductâ in Dupam à fodientibus undâ.

Castraq;

Castraq; dimidiæ quæ dicta à nomine Lunæ,
 Quæ porta est stabuli, nec non cui nomen Arenæ,
 Ingenti impugnata manu. Sed cedere iussâ
 Vis Sueonum, cautè quæ fossas impetithujus
 Nocturnis tenebris, ac partim vimine complet,
 Continuosq; dies urbem sine fine fatigat,
 Ignitis jaculis, & vasto pondere ferro;
 Missilibus pariter crepitans per compita plumbis.

Hinc dum nulla quies, dum membra exhausta labore,
 Vulneribus fractæ, multoq; cadavere vires,
 Ne pertæsa mali pugnantum corda labascant,
 In cœtum armati Cives, milesq; vocantur,
 Auxilijq; aperit spem pxovida cura Senatus,
 Quod vigilans fido meditatur pectore Princeps
 RADZIVIL armatam collectans undiq; turbam,
 Militiæ Ductor fortis, nec iniquus in Hostem,
 Cui mora displicuit dudum affectata Poloni.

Insuper & bello gnavis, ac fortibus ausis
 Præmia constituunt Proceres, Mavortis honores,
 Commodaq; armatæ nunquam non grata caterræ.
 Omnibus hinc accensi animi. Nova mascula virtus
 Ore micat. Jam quisq; optat sibi cominus Hostem.

Nec verbis tantum accipiunt solatia Cives.
 Ecce in conspectum prædit, ceu missus ab alto,
 Promissus RIGÆ vindex, turmaq; Polonæ
 Adverso ostentant Aquilas in littore Dunæ.
 Ergò omnis longo solvit se RIG A dolore.
 Scanduntur muri. Juvat ire, & Vindicis arma

Fessis Ri-
 gensibus

Spem libe-
 rationis
 Senatus
 suggerit.

Et præmij
 suos ani-
 mat.

Princeps
 RADZIVIL con-
 spicitur.
 Affectus
 Obsessæ
 plebis.

Albentesq; videre Aquilas, litusq; repletum.

Quadrupedantem hic laudat equum, tunicamq; Poloni:

Hic peditum tumidas, clamorasq; ore catervas.

Plumam alius galli, villosaq; pilea ridet,

Ast nunc grata tamen. Pars latos suspicit enses,

Helvetij in morem non punctu, ast verberare fortes.

Lancea cara alijs, Sueonum ruptura phalanges

(Si sponte abjiciant hastas & pulveris ignes)

Ipsum imbelle genus lacrymis manantia pascit

Lumina, nec jaculis terretur & ictibus Hostis.

Gaudia vix cepit ipsa sua immoderata Juventus.

Mox virtute ferox statuit prorumpere in undam,

Navibus ac cymbis Sueonum perumpere castra,

Sternere Marte viam, Vindex quâ tendat in Urbem.

Ast prohibet cautè moderatior ista Senatus,

Nil profectura hæc vitanda pericula censens,

Consilij ignarus socij vix prospera sperans.

Exploraturus mentem tamen exit ab Urbe

Nuncius, arcanus cui gnarus transitus undæ.

Promuntur tectæ dudum post tuta Triremes,

Cunctaq; in obsequium Ductoris rite parantur.

Quin, ne quid desit virtuti, BURCKIVS audax

Ductor navalis, Dunam transire per Hostem

Bis tentat ratibus, magnâ cum strage suorum,

Pervia si qua DUCI referari semita possit.

COBRVNI interea fidens excurrit in hostem

Non sat iussa cohors. Pars vallo clausa tenetur,

Saxea quâ Turris. Pugnâ sternuntur utrimq;

Æquo

Et cona-
tus,

Improba-
tus à sena-
tu,

Meliùs rem-
agente.

Burckij au-
dax faci-
nus.

Velitatio
cum Polo-
nis.

RIGA DEVICTA.

Æquo Marte viri. Sueonum post arte Poloni
 Allecti ad vallum, ferrato fulmine pulsi.
 Hinc animos sumunt Sueones, majoraq; tentant.
 PRINCIPIS exagitant glomeratis agmina telis,
 Et quâ discumbit PRINCEPS, sua fulmina vibrant,
 Perfracta ulturi jaculis tentoria REGIS.
 COBRVNI in vallum peditumq;, equitumq; catervæ
 Certatim appropierant, si fors incurrere in Hostem,
 Majorisq; manus conflictum occasio præceps
 Suadeat, aut Hostis concludi possit in arctum,
 Obsessisq; vijs Cereris privarier usu.

Poloni ex-
 agitantur à
 Suedis,

Ista animo volvens jam pridem incommoda PRINCEPS
 Martia perdoctus, curis ingentibus æger,
 Hæc secum. Facit ista Duci rursus otia fido
 Trojana similis; sapientia sera Poloni.
 Tunc, quum bella viros atq; arma acquirere suadent,
 Desidiam nostri & fastum sectantur inanem.
 Buccina quum inflanda est, inflatur bucea superbis,
 Hostem contemnens vigilantem & Marte potentem.
 Si benè quis moneat, titulum fert cura timoris.
 Hic fidei & virtutis honos. Postquàm ingruit hostis,
 Cogimur indoctam raptim corradere turbam,
 Firmatumq; Hostem depellere sede jubemur.
 Ni facimus, tetro scelerata Calumnia dente
 Impetit innocuos, meritoq; orbamur honore.
 Has ego transiliam moles? Hæc castra revellam?
 Tanti REGIS opus? Stante ipso in limine REGE?
 An meus hæc sternet Mavortia pectora Tyro?

Oratio
 Radzivillij
 deliberan-
 tis,

Aggeribus ratibusq; , arcto ceu compede , clausus
 Duna , favens olim , nunc me deducet in Urbem ?
 Ah ! quoties monui ! justo quam tempore dixi !
 Immanis non tam Turcæ metuenda Tyrannis ,
 Non Moschi rabies , Sueonum quam sedula virtus .
 GVSTAVUS jam- jam RIG Æ RIG Æ imminet Hostis !
 Tunc- decuit misissè viros . Nunc fera relictis
 Subsidia adferimus . Non si nunc adforet Hector ,
 Hectoris haud victor veniat redivivus Achilles ,
 Hanc hostis rapiat validis ex unguibus Urbem .
 Attamen an cedam ? Nunc discet cedere virtus ,
 Multiplicem toties quæ sedibus expulit hostem ?
 An fuga victricem maculabit perfida dextram ?
 Quid ? rursus vanâ perdam ambitione cohortes ?
 Meq; meosq; ultrò spoliabo lumine vitæ ?
 Proderit an R E G I mors hæc furibunda Polono ?
 Inter utrumq; feror dubius , seu cedere malim ,
 Seu conferre manum , certæq; occumbere morti .
 Hannibal Italiâ concessit Marte coactus ,
 Et fuga Cunctantis Romanis restituit rem .
 Nunc fugiunt Graji , sequitur Trojana juvenus ;
 Nunc Phryges , atq; instat curru cristatus Achilles .
 Cedere victrici Fortunæ sæpè jubemur ;
 Nec fuga perfidiæ nota , mens si pectore recta est .
 Vesana est lethi nimis immoderata cupido ,
 Vivere cum liceat , nec cernas commoda mortis .
 Prudentis magis est meliores vivere in usus ,
 Durare & sese rebus servare secundis .

GVSTAVO cedam magno. Hæc solatia victo.
 Opprobrii nostri pars derivetur in Urbem.
 Agmine majori dicarrediturus, & istâ
 Credula, quâ poterit, spe Riga cibetur inani.
 Post ubi, fracta malis, tectis exceperit Hostem,
 Dicatur propero percussa fuisse timore.
 Sic levior fiet moles portata duobus.

Hæc ait, atq; agro LITHVANVS pectore DVCTOR,
 Irato miscens gemitus fremitusq; dolore,
 Haudquaquam invitos deducit ab Urbe Polonos,
 Ante tubam fortes, ac primo Marte feroces,
 Verùm adversantem fugientes protinus Hostem:
 Ventosâ in linguâ & pedibus queis robur equorum:
 Grande supercilium quibus est vis mascula dicta,
 Contemnens alias probroso nomine Gentes.
 (Hic Genius vulgo. Procerum sed docta per artes
 Ac Gentes alias, meliora dat ignea virtus.)

Cedere sic Socios, & sesquipedantia verba
 Quadrupedantis equi tergo evanescere in auras,
 Ut videt, ut stupet, atq; horrescit pectore Riga!
 Dant gemitum Patres, lachrymarum flumina Matres,
 Virgineiq; chori, pueriq;, metusq; senilis.
 Ora modis gestant passim pallentia miris.
 Pendula vix tollunt capita, & vox faucibus hæret.
 Immoderata prius, multorum audacia cedit,
 In fumos abiens, sociosq; sequuta fugaces.
 Quoq; magis sanguis quorundam efferbuit intus,
 Hoc magis exhaustus subito calor ossa relinquit,

Discendat
 Poloni
 cum Enco-
 mio.

Confer-
 natio Ri-
 genium.

Impetus

Impetus ut rarò servat mediocria Vulgi.
 Pectoris exhaurit vires magis ignea pompa,
 Quæq; tubâ passim Sueones, tonitruq; micante
 Lætitiæ dant signa suæ; quodq; omina jactant,
 Spemq; sequuturi devictâ ex Urbe Triumphi,
 Et quæ per muros spargit dicteria miles.
 Egregiam verò laudem & spolia ampla Polonus,
 Vester amor, portat, Rigâ qui depulit Hostem.
 Magno jure Canum nostris dat nomina. Sensit
 Jam dentes, cautusq; illos horrescere discit.
 Jam fortis fugit, ecce, Lepus, neq; sustinet aure
 Tympana, latratumq; cavo quem ex ære cimus.
 Fors retrofiliens hæc Turba redibit, & uno
 Transiliet Dunam saltu, quo liberet Urbem.
 Scilicet is timidus mos est. Ignavia fortes
 Reddet, & opprobrium cumulabit laudis acervos.
 Ad pugnam qualis redit acrior incita probro
 Cerva fugæ, spolio fulvi decoranda Leonis:
 Talis cristatus rediturus ad arma Polonus,
 Providus ut caveat sibi post primordia pugnæ.
 Hæc telis Sueones linguarum spicula miscent,
 Quo magis opprobrio Mavortia pectora frangant.
 Gaudia sed prius ut moderata fuere Senatus,
 Rebus in adversis sic mens constantior illi.
 Spes licet exigua est reditus, non abjicit illam,
 Magnanimo sed corde fovet, magnamq; sereno
 Prudenter simulat vultu, pressatq; dolorem;
 Nec verbis animare suos, ac munere cessat.

Aucta ora-
 tione
 Obsiden-
 tium,

Et dicte-
 riis milita-
 ribus,

Simile.

Senatus
 moderati-
 or suos
 animat.

Majo-

RIGA DEVICTA.

25

Majori interea Sueones hostilia nifu
 Arma parant, densantq; ictus, fodiuntq; ruuntq;
 In muros vallumq; Urbis. Incendia passim
 Ignea tela movent, Iamq; implent vimine fossas.
 Haud segnes torpent Rigani. Incendia gnavi
 Extinguunt. Muros tutantur cominus hastâ,
 Eminus explosis jaculis. Harpagine vimen
 Fossis extrahitur; valloq; cuniculus imo
 Muita latens Sueonum diffundit corpora in auras,
 Pulvere quum pyrio vallum succenditur infra,
 Ac tonitru horrifono Tellurem miscet & æthra.
 Fabrica post Ponti similis, quam linea circum
 Vela tegunt, celeri vallo molimine juncta.
 Hanc Sueonum transire parat justo ordine miles,
 HORNIKIO præeunte. Urget stricto ense IACOBVS
 SITONVS, reliquiq; Duces. Sed rupta repente
 Machina transgressum negat his, illisq; regressum.
 Acrior hinc pugna est, fracti dum pontis hiatum
 Tollere conantur Sueones, & frangere contra
 Ulteriùs Rigana cohors. Vibrantur utrinq;
 Spicula; utrinq; ingens denso fit grandine cædes.
 SITONO instanti crus ferri rumpitur ictu,
 Heröesq; alij non uno vulnere pulsi.
 Ære explosa cavo, solidis conjuncta catenis,
 Ferramenta magis pontis fundamina vellunt.
 Sic impugnantum cedit cum murmure virtus,
 Et pons injecto tandem consumitur igne.
 Attonitos animat rursùm præsentia REGIS.

Recrude.
 scit bellâ.

Suedi cu-
 niculo fusi.

Pons lig-
 neus

In transitu
 ruptus,

Vnde acri-
 or pugna.

Suedi ce-
 dunt.
 Rex suos
 animat.

D

Exiguo

Exiguo nunquam res magna est parva labore.
 Eja, aliâ tentanda viâ, quæ cœpimus, inquit.
 Hostili exemplo Tellus rumpenda per ignes.
 Perfodienda magis vasti fundamina valli.
 Tutior hic labor est, & subterranea nobis
 Prælia fausta dabit Mavors. Æqualis utrisq;
 Sors est sub terrâ. Numero nos vincimus Hostem,
 Et conducendis apto fossoribus ære.

Suedi cu-
 niculos fa-
 ciunt.

Sedulius accelerat mandatum fossor, & auri,
 Argentiq; datur crebrò haud ignobile pondus.
 Mutatis vicibus nunc hæc, nunc illa caterva
 Succedit fessis. Terebrant quæ Turris arenæ
 Vestitur terrâ, & latè penetralia pandunt.

(Rege &
 Principe
 ingredien-
 tibus)
 Simile.
 Ut & Ri-
 gentes.

Ingreditur REX ipse specum cum PRINCIPE fratre,
 Ut quondam Alcides, abducens Thesea secum,
 Atri lustravit sedes atq; atria Ditis,
 Inviçtaq; manu devicit regna silentum.
 Obvia procedit Terræ per viscera turba
 Fossorum Rigana, ausu quæ Regia magno
 Disturbare parat molimina. Protinus instant

Pugna sub-
 terranea.

Armati Sueones. Fit pugna, atq; ense viritum,
 Hastaq; in tenebris certant, validaq; sarisâ.
 Rigani ignivomo faciunt sibi lumina ferro,
 Vibrato in Sueones. Hi rursus ex ore Petardæ
 Sulphuris eructant flammæ, & verberè duro
 Hostes dispellunt trepidos, Hostisq; fodinas.
 Vincunt hic Sueones. Sed non sine clade suorum
 Audaces vincunt. Fodientum copia major,

Vincunt
 Suedi.

Dat

RIGA DEVICTA.

27

Dat laurum, atq; animans semper præsentia REGIS.

Miles ab Hostili captus deducitur Urbe,
 Ex pugna reliquus, vasto comprehensus in antro.
 Continuo hunc fari mandat justo ordine, quidquid
 Proficuum scitu censet mens provida REGIS.
 Quot numero Cives: quantus sit Miles in armis:
 Vulnere qui gestent: quos Mars demiserit Orco:
 Machina quæ belli: nigri quæ pondera nitri:
 Et quantum Cereris siccæ liquidæq; supersit:
 An vigeat cunctos inter Concordia Cives:
 An Proceres inter belli, Civisq; Senatium:
 Quæ vigilum ratio: quæ sit fabricata fodina:
 Quæ spes subsidij: Num sint jam fracta labore
 Membra, animiq; truces: statuant num cedere tandem,
 An majora pati justâ Victoris ab irâ.

His ubi jam responsa dedit, REX protinus omni
 Robore ad obsequium cogendam, censuit Urbem.

Turris arenosæ vallum, quod nomine Luna
 Dimidiata notat, geminâ Legionem petendum,
 Magnamini infestant Proceres, ac fortiter urgent.
 Primus in adversum IANVS BANNERIVS hostem
 Tendit. Subsequitur REGI cognominis Heros
 HORNIVS, ambo acri Sueonum de sanguine natî.
 Haudquaquam à tergo Gallus CAPELLIVS hæret,
 MOSTIACVS QVE Scotus. Sed mox comitante catervâ
 Conscendunt vallum. Depellunt ictibus Hostem,
 Disjectaq; nitro circum Tellure cavatâ,
 Ferrumpunt aditus, qui summa ad moenia ducunt,

Miles ex
 Urbe cap-
 tus

Examina-
 tur.

Vallum A-
 renarium

Oppugn-
 tur.

D 2

Et

Et fumo tecti Loricas ense supremas
 Invadunt, sternuntq; viros. Post rursus in imo,
 Quà summi fundus muniminis, agmine facto
 Perterebrant vallum, figuntq; in viscere sedem.
 Non piceos metuunt Orbes, non flammae tela,
 Dejectasq; trabes, immensaq; pondere saxa.
 Iamq; toto tecti derident fulminis ignes,
 Sive Iacobæo densè munimine missos,
 Sive novæ (Australis quæ pars) munimine portæ.
 Hic demum Rigana cohors percussâ timore,
 Quum jam securos imis in mœnibus Hostes
 Cernit, & ulteriùs penetrantes intima fundi.

Conflitu cecidit IVNIOR CAPELLIVS isto,

Bellator fortis, cordati ante ora Parentis,
 Haud unquam in lachrymas effusi funere Nati,
 Sed Natum hortantis pro REGE effundere vitam.

HORNIVS adverso decoratus vulnere multo
 Egregio tinxit superatum sanguine vallum.

Attamen expertus Medicam feliciter artem,
 Præmia virtutis jam vidit vivus, & hausit

Auribus, ipsa palàm nuper quum REGIA Suada

Præco fuit laudis, tituloq; ornavit Equestri

BANNERIVM, HORNIADEMOYE ingentia fulmina belli.

Plurima præterea, quorum mihi nomina nondum

Nosscè datum, hoc ipso sternuntur corpora Marte.

Verùm haud Riga minus, tristis, sua funera cernit,

Plus quam centena, & labefactas vulnere vires.

Ast dum jure dolet metuitq;, audacia nondum

Cessat.

asis obti-
 etur à
 uedis.

Laus Ca-
 pellij,

Hornij &
 Bannerij,

Ab ipso
 Regæ de-
 prædicata.

Cessat. In indomitum crescit male sana furorem.
 Postera quum nondum lux surrexisset Eoo,
 Certatim crumpunt, permixto milite, Cives,
 Pars per arenosam, pars portâ egressâ Iacobi,
 Ac statuunt somno longoq; labore gravatum
 Ex imis valli depellere sedibus Hostem.
 Et vigilum primos jam fervidus hauserat ensis,
 Quum pietate graves alij, belloq; periti
 Sollicitè tales demittunt aggere voces.
 Retrò huc ferte pedem, juvenes, fortissima frustra
 Pectora, queis impar nimium congressus Achilli.
 Quis novus iste furor? quæ tanta insania menti?
 Creditis imbelles Hostes? somnoq; sepultos,
 GUSTAVO vigilante, viros? Fessisne putatis
 Haud alios densâ submissos noctis in umbrâ?
 Si fors incautos quosdam cædatis in antro,
 Multiplices circum repletæ milite moles
 An non auxilium portent, vobisq; ruinam?
 Immodica hæc talem metuant conamina casum.
 Tum Rigæ quis tutor erit, post funera tanta
 Si se perdidit præceps lectissima turba?
 Si Patriæ vos cura tenet, ratione magistrâ
 Discite proficuos Patriæ tolerare labores,
 Non proprio Patriam temerè pessum dare letho.
 Hæc demum est virtus. hæc laudis justa cupido.
 Huc agite & celeres vallum scindamus ab Urbe,
 Cujus habet fundum nunc hostis; ut irritus ejus
 Sit labor, aut remoram saltem injiciamus, inanis

Rigenfes
cruprio-
nem ten-
tant,

Sed revo-
cati

Quæ minimè obsessis. Dum commoda præterit æstas
Hosti, aderit rursus multo cum milite Vindex.

His retrò trahitur verbis egressâ Juventus,
Consiliumq; placet. Sed post obstare videtur
Gnava manus Sueonum, celeris vigilantia REGIS,
Quæ studio ingenti mox perfectura fodinam,
Sulphureo (horrendum!) disiecto pulvere vallo,
Irruat in cœptas operas, atq; omnia vastet.

Sic obsessorum nunc huc, nunc dividit illuc
Cura ingens animos. Haud eluctabile Fatum
Præ foribus jam stare vident. Tamen omnia rursus,
Quæ tempus viresq; ferunt, tentare parati.
Restaurant vallum, loricas, deniq; cœptum,
Regali adversum, fodiunt haud segniter antrum,
Si quâ forte viâ REGIS molimina rumpant.

Ast REX inceptis solito magè fervidus instat,
Ad finem properans tantâ jam mole petitem,
Omnia tuta timens. Dum subterranea gnarus
Perficit, in terrâ passim gravis imminet Urbi.
Quicquid telorum primùm jaculatus, & ignis,
Nunc duplicat, densatq; magis. Nec mœnibus usquam,
Nec tectis locus à vitæ discrimine tutus.
Ferreæ plus centum tela evibrantur in horâ;
Nec vel nocte quies, donec confecta labore,
Cædibus assiduis, ac multo vulnere RIG A
Viribus ipsa suis tandem diffidere cœpit.

Septembris bis sena dies, nisi Numen ab alto
Corda emollisset, RIGÆ suprema fuisset.

Paucos

Redeunt
& consul-
tant.

Omnia
tentant.

Rex magis
urget.

XII. Sep-
tembris,

Paucos ante dies, quamvis collapsa viderent
 Robora RIGANI, dederant responsa feroces
 Dura satis, nunquam Sueonum sibi iussâ sequenda,
 Malle extrema pati, certæq; occumbere morti.
 (Virtutum ignari REGIS, quas dira Poloni
 Criminibus fictis foedè consperserat ira.
 Nunc fortunatos talise REGEFatentur')
 Hinc REXextremo Martem conamine tentans
 Urbi extrema parat. Neq; enim nunc cedere virtus
 Magnanimi patitur. Non sævas edere cædes
 Mens est. Ast aliò duros abducere Cives,
 Urbem æquare solo, ne post sit noxia Regno,
 Gratia Victoris recto nî corde petatur.
 Ergò ubi jam valli triplicatæ immisâ fodinæ
 Bis dena, ac quatuor pyrio cum pulvere vasa,
 Binos accelerat pontes, queis ordine quinus
 Incedat justo Miles, mox agmine denso
 Urbem in vasurus, vallum quum ruperit ignis.
 Lignea quin etiam trabium compagine multâ,
 Ferrea quam passim jungit solidata catena,
 Machina stat medio fabricata in flumine Dunâ,
 Approperatq; Urbi, tuto munimine cincta,
 Ac socias ducit, violentas ære, carinas.
 Regia tum Ducibus scripto mandata feruntur,
 Ut signo, de more, dato mox undiq; toto
 Agmine præfractam via vi quærat in Urbem.
 Jamq; magis solito volitant rutilantia tela,
 Quæ terrore animos, & vulnere corpora sternant.

Periculum
excidij Ri-
genibus

Creatur.

Atq;

Oratio
& Ducis C A-
R O L I in-
tercessio-
ria.

Atq; avidus pugnae circum stat Miles in armis ,
 Dentibus infrendens , remoramq; incusat inanem .
 Quum REGI hæc CAROLVS , demisso lumine , fatur .
 FRATER magne , Tuæ qui me virtutis in armis
 Discipulum , ac laudis socium dignaris habere :
 Fas mihi sit fido , quod nosti , pectore , Martem
 Omnia dum spirant , unum dare dulcis Olivæ
 Consilium , si forte Olitor non vana loquatur .
 Provida si tua mens , quæ dicam , haud approbat , ultrò
 Cedam , quæq; jubes , per mille pericula promptus
 Exsequar . Hæc summa est hoc nostro in corde voluptas .
 Cedere Victori præfracta hæc turba negavit ,
 Omnia dum nondum belli hæc molimina vidit ,
 Non pontem geminum , non vastum in flumine lignum ,
 Non circum stantes validas tot Marte phalanges .
 Hæc cum nunc pateant oculis , fors concidit ille
 Spiritus , atq; optat tandem se dedere victam .
 Unus ad huc quid si mittatur Nuncius , uno
 Qui verbo mandata ferat , responsaq; poseat ?
 Si præfracta manet , Mavortia jura sequamur ,
 Parcere subjectis & debellare superbos .
 Sin melior tandem venit sententia menti ,
 Nostris parcemus turmis ; & gloria Martis
 Major erit , Victor justam quum temperat iram .
 Sancta , DEUM referens , ornat Clementia Martem .
 Et qua Mars quærit , Clementia parta tuetur .
 Vinces sic animos , non tantum mœnia RIGÆ .
 Mollescent , duros quos dira Calumnia reddit .

Regales

Regales docti mores, scelerata Poloni
 Detestabuntur tandem mendacia Cives.
 Hoc FR A T R I fas sit currenti impingere calcar.

Dixit, & extemplò satagit sua jungere vota
 G A R D I V S, insignis bello, moderatus in armis
 Consilio, ista priùs C A R O L O qui pectore fidus
 Indiderat, dignus pacis, belliq; trophæis,
 Ut Procerum quisquis semper moderabile suadet.

Approbat haud ægrè hæc voto M A N S F E L D I V S Heros,
 Et F A L K E N B E R G V S, C A R O L I qui præsidet Aula.
 Mox facile est R E G I S moderatum flectere pectus,
 Haud cædem spirans, sed justâ ex cæde dolorem,
 Atq; Hostis, si justa sequi vult justâ, salutem.

Infrémitt ast Miles, Tuba quum denunciat Urbi
 Extremum hoc veniæ tempus. Quum Nuncius intus
 Accipitur, trepidant cuncti, & suspiria miscent.
 Venit summa dies. Senas, non ampliùs, horas
 Seria responsò Regalis Epistola donat.

Hic quid agant? Fractos se cernunt, atq; relictos.
 Mœnia strata vident, postquàm quindena per Urbem
 Millia tormentis hostilibus acta globorum.

Extra se cinctos, intra Hostem in mœnibus ipsis.
 Tormenta effracta, ac pyrio de pulvere quidquam
 Vix reliquum. quin & mediâ plus parte peremtum
 Pugnatum numerum: reliquos ex vulnere multo,
 Aut raro exhaustos somno, duroq; labore.

Bis denis Hosti plus millibus esse virorum,
 Martia queis virtus, validumq; in corpore robur,
 Bis senæ quorum parti cessere Poloni.

Approbatâ
 à Magnati-
 bus

Et ipso Re-
 ge.

Mittitur
 Nuncius.

Rigenses
 sese enami-
 nantes

Testantur, iussi, quotquot sunt Marte periti,
 Si bis dena virum rediens nunc millia ducat
 RADZIVIL, haud unquam pellendum ex sedibus Hostem.

Omnia sollicitè tristi dum pectore versant,
 Mittendos! statuunt, quamvis res plena pericli,
 Legatos, non qui Cives cum Milite dedant,
 Omnia sed magno primùm conamine tentent,
 Urbem si forsan possint servare Polono.
 Exorant, nescuntq; moras, tandemq; recepto
 SVANTONE BANNERIO, Regali sanguine nato,
 Regia quo gaudet Marefchallo, deinde FLAMINGO
 Obsidibus, veniunt Legati in castra Senatus,
 VLENBROKIA CVS sapienti pectore Consul,
 IANVS QVE VLRICVS, præstans qui Syndicus Urbis,
 Nunc & Burgravij merito decoratus honore,
 Queis addunt Cives Collegia civica binos,
 ALBINVM, atq; EQVITEM, rarâ probitate Tribunos.

Eloquio hi tentant, ac multum divite gazâ
 Irati mollire animum Victoris, utroq;
 Si fors hostiles revocentur ab Urbe cohortes.

Ast aurum spernit REGIS magis aurea virtus,
 Verbaq; nil speciosâ juvant. Tutamina Regni,
 Respondet, Pacemq; sibi hæc per bella parandam.
 Regalis pridem fuerit quum gratia Rigæ
 Facta, ut, pacis amans, posset secludere Martem,
 Si modò subsidium cessaret ferre Polono:

Atq; eadem nuper fuerit repetita, priusquam
 Aggere cincti essent & Sueco milite muri;
 Ipsa ast mente ferox grates contemserit istas,

Statuunt
 mittere ad
 Regem
 Cum po-
 testate li-
 mitatâ

Legatos,

Horum co-
 natus

Iritus,

Causa à
 Rege pro-
 ducta.

Et nunc Heroum dederit tot corpora letho ,
 Tantum Regalis præfracta absumferit aris ,
 Dedendam jam nunc RIGAM, vel Marte domandam.
 Mensẽ unum ergò orant saltem cesset ab armis ,
 Quo fidam intereã tutetur RADZIVIL Urbem ,
 Aut, hoc devicto , major sit gloria R E G I.
 (Scilicet audaces cura hæc pro R E G E fatigat)
 Non tam vesana est, R E X inquit, pectore nostro
 Ambitio , ut tanti sim vilem emurus honorem.
 Cælitus in nostrã quã stet Victoria dextrã ,
 Non hanc excutiet mora. Iam lustrate fodinas ,
 Et celeres responsa date , omni ambage remotã.
 Iura, Magistratumq; , & , quæ probo, Sacra relinquam ,
 (Non Papale nefas) Tutorq; ero sedulus Urbi.
 Offero quæ sponte, hæc capite, & licitatio cesset ,
 Ne tentata nimis pariat patientia noxam.
 Hactenus (hunc testor, qui Martem & prælia nutu
 Dirigit) innocuos tantum miseratus, & omnem,
 Quã potis, ac fas est, horrescens mente cruorem,
 Vix oppugnantes tenui, rabiẽmq; repressi.
 Ipsi ne Marti laxetis fræna, videte,
 Et serò tristi ploretis corde ruinam.
 Hic tridui saltem spatium, Pacẽq; requirunt,
 Quo referant mandata suis. R E X percitus irã
 Impatiensq; moræ totum mox abnuvit, Hostis
 Ne fors ineautum vasro stratagemate ludat.
 Instant hi precibus, rursũmq; his GARDIVS adstat
 Adjutus CAROLO, qui GVLDENHELMIVS Heros
 Dicitur, mansueto Martem qui exornat amore.

Petunt
mensis in-
ducias.

Responsum
Regis.

Triduum
petitur,

Et Magna-
tum inter-
cessione

Dimidia
dies impe-
tratur.

Legati re-
deunt.

Acta refe-
ruant.

Rigenses
deditionem
statuunt.

Legati ad
Regem re-
versi
Majori nu-
mero,

Adjuvat & CRVSIVS, REGIS cui credita gaza.
Tandemq; exorant, responsum ut postera portet
Lux, ubi dimidium Phœbus transfiverit Orbem.

Vespera Legatos rursus perducit in Urbem,
Omnia conatos frustra, tantumq; fideles,
Ut verè indignus tali sit Cive Polonus.

Infomnis postquam curis nox transijt atris,
Iam proceres, Civesq; omnes, de more, coacti
Legatos audire parant. Ac tristia multum
Vultibus horum inscripta vident. Tamen ordine cuncta
Legati referunt tractata, atq; extrema iussa.

Fit gemitus, quanquam partim prævisa fuere,
Tela. Movent lachrymas multis simulira, dolorq;,
Ac fremitus. Post, dum rationum pondera librant,
Cælica dum votis quærun spiramina Mystæ,
Inditur ex cælis melior sententia menti.

Omnibus hic animus. Patriam si morte tueri
Possent, pro patriâ haud dubitarent fundere vitam.
Verùm cum Patriâ temerè se involvere letho,
Et quicquid carum, crudeli exponere Marti,
Id nec dulce putant, nec in æquâ mentè decorum.
Nomine virtutis dignum non esse furorem,
Nec fortes illos, qui nil nisi noxia præstant.
Sat REGI Regnoq; datum. Quum RADZIVIL ipse
Cessèrit, & sibi fas Victori cedere REGI.

Ergò pedem referunt iussi ad Tentoria REGIS
Legati. Comes it præclarus in Urbe Senator
RAMVS & insignis MAIERVS munere Scriba.
Adduntur quovis bis deni ex ordine cives,

Quos

Quos injussâ lubens sequitur magno agmine Turba.
 Cedere se Fato testantur. Legibus æquis
 GVSTAVUM accipiunt DOMINUM. Jamq̄; aspera ponunt
 Corda, movente DEO. Sueones jam mente benignâ
 Agnoscunt Socios; communia jussâ capeflunt.

Sic REX Virtutis tandem, assiduiq̄; laboris
 Præmia consequitur. Dignâ comitante catervâ,
 Quum bis octonâ Septembris luce refulget,
 VICTOR QVANS graditur, victâ acceptatus in Urbe;
 Terribilis nulli, sed vultu animoq̄; sereno,
 Dum circum cives adsunt, hæc fatur ab ore.

Victi estis, Cives. Sed & hæc Victoria vestra est.
 Gens JESUM fingens titulo Papalia vobis
 Nunc non jussâ dabit. Non effrænata Poloni
 Militis imperia, ac factum tolerabitis Aulæ.
 Vestra manent nunc Sacra. Manent immota parentum,
 Jura. Metus faxo haud Miles grassetur in Urbe.
 Ipsé Parens ac Tutor ero. Meliora Polono
 Præstabo auxilia. Hic gazam cum sanguine fundam
 Pro RIG A, si fida manet. Vos quale Polono
 Hactenus obsequium & robur virtute tulistis,
 Nunc Domino præstate novo. Non plura requiro.
 Quin, si tantus amor vobis servire Polono,
 Hoc agite, ut Pacem nobis det legibus æquis,
 Nec Sueonum pergat perfundere sanguine campos.
 Si pacem justam tribus hinc concedet ab annis,
 Sponte SIGISMUND O vos reddam, opibusq̄; juvabo.
 Non mihi mens avida est latè corradere Regna,
 Fundere & innocuum turpi ambitione cruorem,

Deditio-
 nem faci-
 unt.

REX RI-
 G A M in-
 gressus
 XVI. Sep-
 tembris

Cives al-
 loquitur.

Sed Patrijs sævum depellere finibus Hostem,
 Et Pacem extorquerè manu, quum iusta negetur.
 Hanc dum sectamur pariter, mea mitia Scepra
 Morigeris perferte animis. Fidi mihi Cives
 Estote, æquanimò ut cernetis pectore REGEM.
 Quod superest, mecum nunc ad communia Sacra
 Ite, Viri, laudesq; DEO cumulate, precesq;
 Pro vobis & REGENOVO; quo Numen ab alto
 Ambobus cumulàre bonum dignetur in ævum.

His prudens dictis animos & pectora mulcet,
 Intentusq; Sacris, hìc, factò fine, quievit.

Sacra sunt,

Æde sacrâ, Petri pridem de nomine dictâ,
 Sacra facit primus, Germano idiomate, Mystes
 SAMSONIVS, Papæ mastyx, sed fida Polono
 Corda gerens, RIGÆ dum iussâ POLONA vigeabant;
 Nunc Sueonum fidus REGI, nec ab Hoste rogatus
 Proditione sacram cupiens fœdare Cathedram.
 Pòst Sueonum genti, Jacobi ex æde remotis
 Hispani, Papæq; viris, quèis nomen JESU,
 BOTHFIDVS consueta facit Regalia Sacra.

Resistis tu-
 rò egressis

Vim tamen haud patitur JESU sub nomine tecta
 Factio Papalis; Sed tuta excedit ab Urbe,
 Quisquillasq; suas placitas exportat in oras,
 Civibus hoc ipsis, æquoq; rogante Senatu,
 Dira licet multis, prisco de more, patrârat.

RIGA pur-
 gata felix
 esto,

Sic purgata, DEUM nunc RIGA, & SVEDICA scepra
 Obsequiosa colit. Sic duret Numine plena,
 Omnigenoq; ornata bono GVSTAVICA RIGA.



Benigne

Benigne Lector,

ANimus mihi fuit conjunctim exhibere TROPHÆA GUSTAVIANA Livonica, Lithuanica, Semigallica. Sed quoniam nonnulla tardiuscālè mihi communicantur, quæ Expeditionem Regiam hujus anni spectant; mihi autem religio est in re seriâ ac gravi, prætextu licentiæ Poëticæ, quidquam consingere, quod rei substantiam concernat: Suasum quorundam amicorum judicio pollentium, RIGAM DEVICTAM seorsim do in antecessum; hac spe & voto, ut Heroës illi, qui partim consilio, partim armis præclaram Ser. REGINARUM operam, visâ hac sedulitate meâ in omnibus, quoad fieri potest, accuratè describendis, communicationem desideratam maturare dignentur, post S. R. M. suo quoq; honori, si exitus conatui meo responderit, consulturi, & Claudiani Poëtæ memores, studijs meis benignè fautori.

Gaudet enim Virtus testes sibi jungere Musas.

Carmen amat quisquis carmine digna gerit.

QUOD reliquum est, in complementum paginæ, RIGÆ DEVICTÆ aliquid nunc addo (suo tempore justo ordine recudendum) de Rige Gubernatore, cujus exemplo aliâs æquitatem, prudentiam, vigilantiam, fortitudinem bellicam ceterasq; præclaras virtutes ab Hoste ipso deprædicatas, nunc autem imprimis temperamentum felicitatis hujus sæculi divinitus factum animo infracto ferre, Lector, disces.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO

IACOBO DE LA GARDIE

Comiti in Leckoë, Domino in Kolcke, Kyde & Runfsoë

&c. Equiti Aurato, S. R. M. us Regniq; SUECIÆ

Senatori, Marechallo, nec non Generali Exer-

cituum Præfecto, Civitatis & Castri

RIGENSIS Gubernatori &c.

POST DEVICTAM DERPATVM, PLVRIMASQVE ARCES

LIVONIÆ, FILIOLA DIVINITVS ORBATO,

REX in Triumpho tergemino † sedens

Ut conspicatus lumine GARDIUM,

DERPATICA hunc ornare Lauro

Præcipit, & LIVONUM Trophæis.

†Livonico,
Lithuanico
Semigal-
lico.

Mox

Mox dura sortem hanc asperat Atropos,

Lauro Cypressum jungere gestiens ;

Dulcisq; rumpens fila NATÆ,

Sic, ait, hi moderandi honores.

Sic parte ab omni nemo beatus est.

Sic Fata amaris dulcia temperant.

Sic Hoste victo, Victor audit :

Nunc animum subige & triumpham.

Triumphus illum perpetuus manet,

Ægrè obsequentem qui domat impetum ;

Qui desuper firmatus armis

Immodicas superat querelas:

Lubens relinquens quæ dator abstulit,

Nec mutuatum reddere proprium,

Ingratus audens, néve tempus

Muneribus statuens fruendis.

Qui mente rectâ, lumine cælico,

Augusta Cæli judicat atria,

Mortaliumq; tot labores,

Dum volitant per inane Mundi,

Fatum ille nunquam præproperum increpat,

Nec se, suosve hinc murmurat abripi.

Sed gratus æviterna Numen

Bis dare, quum citò dat, fatetur.

His, magne GARDI, victor ovans tui

Incedis armis. Duplice Laureâ

Ad Astra tendis ; atq; NATÆ

Laurea fit Cyparissus ipsa.

ERRATA. Pag. 14. lineâ 14. pro are, lege, are. Pag. 17. circa versum 4. in
margine scribe ; Ad fossam Urbis promoventur. P. 19. l. 20. pro caterræ,
lege, catervæ.

F I N I S.